



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Factum id bono exemplo & in posterum profuturo. Nam sub Clemente IV. Legatus ab eo missus, extra fines Scotiæ subsistere jussus est ac per litteras mandata exponere, denique in regnum admissus ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

non fuisse in regno, aut certe prius mandata sua per literas exposuisse quam admitteretur. Conjectura est timuisse Gregorium ne Legatus uti prohiberetur auctoritate sua in Scotia.

VI. Scoti contendebant Scotiam non comprehendi sub legatione Anglica, ut docet Bonifacius VIII.

VII. Ratio autem cur Scoti nolent comprehendi sub generali legatione Anglia, hæc erat, quia regnum eorum divisum erat ab Anglia, & quia ex quo Christianam fidem Scoti susceperant, Scotia libera fuerat, & nulli extra suam regionem subiecta præterquam uni Romano Pontifici.

I. TRANSEAMUS ab Anglia in Scotiam, tum quidem divisam à corpore Britanniarum, sed tamen isdem penè moribus viventem. Mittebant interdum Romani Pontifices in Scotiam Legatos, non rogati & in nullum rei publicæ usum, tantum ut provincialium opibus ditarentur. Displicebant haud dubiè ista Regibus Scotorum. Itaque istud tandem pervicerunt anno **MCLXXXVIII. ut nulli de cetero, qui de regno Scotiæ non fuerit, nisi quem apostolica sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere.** Hæc sunt verba Clementis III. ex epistola ad Vvillelmum Scotorum Regem, quam recitat Rogerius de Hoveden, & ex eo Baronius. Ista autem ea haud dubiè de causa postulaverant Scoti, ad exemplum Francorum, quòd frequentia & avaritia Legatorum præmerentur, cum verò viderent stabilitam esse necessitatem Legatorum in provinciis, malebant ut ea auctoritas cuiuspiam Scoto tribueretur quam exteris hominibus.

II. Hoc privilegium Scotorum confirmavit deinde Celestinus III. anno **MCXCII.** ad eundem Vvillelmum Scotorum Regem scribens. Refert illius literas idem Rogerius de Hoveden, in quibus hæc verba leguntur: *Adjicimus, ut nulli de cetero qui de regno Scotiæ non fuerit, nisi quem apostolica sedes propter hoc de corpore suo specialiter destinaverit, licitum sit in eo legationis officium exercere.* Istud ipsum isdem verbis confirmatum est ab Honorio III. in epistola ad Alexandrum Regem Scotorum, ut testatur Odoricus Raynaldus.

III. Verùm cum nec sic quieta aut secura esset Scotia à rapacitate & tyrannide Legatorum, cum videlicet Pontifices frequenter mitterent Legatos de corpore Romanæ Ecclesiæ, nimirum Cardinales, qui Scotiam raptabant sub umbra legationis, res eò deducta est anno **MCCXXI.** ut cum illuc missus esset ab Honorio Papa Legatus, Alexander Rex consulendos suos ratus Concilium convocaverit. Ibi Præful quidam multa præfatus de avaritia & pravis moribus Lega-

torum, demum huc flexit ut censeret non modo hunc non admittendum reclamante populo ac regno exhausto, sed ne in posterum quidem alium. Adit autem Hector Boëtius ea liberrima Præfulis illius oratione permotos qui in conventu aderant, Legatum censuisse in regnum admittendum non esse. *Quæ quum summo Regis, inquit, & assidentium assensu probata essent, Legatus in regnum admittus non est.*

IV. Ista quidem fortiter ac viriliter acta sunt, bono sanè exemplo, ac in posterum profuturo. Nam avo Clementis quarti, cum Pontifex Legatum in Scotiam misisset ad conquiendam ad expeditionem in Saracenos pecuniam summam grandem, ille statim admittus non est, sed extra fines Scotiæ subsistere iussus, ac per literas mandata exponere. Ita Legatus in regnum admittus non est. Misit inde Scotorum Rex Alexander mille marcas argenti Pontifici Maximo Clementi quarto in subsidium profectionis.

V. Quare cum videmus, apud Odoricum Raynaldum, Gregorium IX. legationis apostolicæ munus commississe per Scotiam Ottoni Tituli sancti Nicolai in carcere Tulliano Diacono Cardinali, ita interpretari debemus, aut admittum non fuisse illum in regno recentibus adhuc odiis adversus Legatos, aut non antè admittum quam per literas mandata sua exposuisset. Nam præterea colligipossè videtur ex verbis Gregorij illum valde timuisse ne Legatus prohiberetur uti auctoritate sua in Scotia. Scotos quippe demulcet, & variis argumentationibus uritur aptis, ut illi videbatur, ad commovendos eorum animos. Referenda sunt ejus verba: *Nos consultius attendentes quòd cum circa regnum Scotiæ eò majorem curam gere-re teneamur quò fortius Ecclesia Scotiana Romanam Ecclesiam solam matrem & metropolitanam nullo medio recognoscit, indignum existeret, nisi quæ nos singularem patrem in spiritualibus obtinet, specialem à nobis reciperet consolationis affectum, eidem Cardinali in dicto regno Scotiæ legationis officium motu proprio duximus committendum: quia relinquere conscientia salva nequivimus quin eidem Scoticane Ecclesiæ per dictum Legatum apostolicæ visitationis solatium mitteremus; ne à nobis affectione materna spoliari se crederet, si nobis Ecclesiam visitantibus Anglicanam, regnum Scotiæ sic in vicino positum, expers visitationis apostolicæ remaneret.*

VI. Speciales huic Legato literas pro Scotia dederat Gregorius, quia sub legatione Anglica non comprehendi Scotiam contendebant Scoti, ut ad Eduardum Anglorum Regem scribit Bonifacius VIII. his verbis: *Ceterum nobis nullatenus venit in dubium, quin potius certi sumus, quòd cum apo-*

Heitor Boet. lib. fol. 189.

Apud Oder. Raynald. ad an. 1257. p. 40.

File Baron. ad an. 1188. p. 17. & 1194. p. 11. & Hoveden. Bar. lib. 13. fol. 273.

Apud Oder. Raynald. ad an. 1259. p. 17.

File Baron. lib. 14. p. 14.

Mon. Inq. lib. 14. p. 14.

File Baron. lib. 14. p. 14.

Oder. Rayn. ad an. 1257. p. 61.

File Baron. lib. 14. p. 14.